Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1137

Quelle:
Copyright:

nonas Julij feria ſecunda poſt feſtum glorioſe uirginis et martiris margarethe 1460. et complectitur ſequentia: I. *Petri* a loco natali dicti *Bleſenſis*, Archidiaconi in *Anglia* primum *Bathonienſis* dein *Londinenſis*, fato functi anno 1200. *Epiſtolas* CXXXVII. ex CLXXXIII. quas exhibet *Petrus de Guſſanvilla* in edit. Opp. *Petri* noſtri *Pariſ.* 1667. f. quasque duabus in caſſum *Edm. Martenius* T. I. *Anecd.* p. 639. augere voluit, cum hae *duae* Epiſtolae jam inter *Guſſanvillanas* ſint numero CXLIII. et CXLIV. Codex porro noſter plerumque cum impreſſis conſentit. Sunt tamen, quae moneam. Ordo Epiſtolarum alius eſt. Epiſtola *ad Clericum negotiatorem* in impreſſis *17ma*, nobis *fol.* 17. p. 2. longior eſt in *Cod.* his ſub finem adjectis: *uel ſaltem bis pretermiſſis noſtra blanda exhortacio. Quos enim cruciamenta non corrigunt. nonnunquam ab antiquis actibus leuia blandimenta compeſcunt. quia et plerosque egros quos fortis pigmentorum pocio curare non valuit. aqua tepens ad ſalutem priſtinam reuocauit. et nonnulla vulnera que curari inciſione nequeunt. fomentis olei ſanantur. et durus adamas inciſionem ferri minime recipit. ſed leui bircorum ſanguine molleſcit. et vtinam maturius animum tuum noſtra molleſcat humilis et priuata correctio quam publice correctionis et obiurgationis aſpera inuectio.* Deſunt haec etiam in ipſa editione principe *Epiſtolarum* noſtrarum *char. gotb. rudi, ſ. l. et a. f.* cujus raritatem mirum quantum extollit *Hambergerus* in *Zuverl. Nachr. v. d. vornehmſt. Schriftſt.* P. IV. p. 304. Epiſtola *ad Abbatem recenter electum* in impreſſis *134ta* prolixiorem habet in *Cod.* noſtro *fol.* 60. ingreſſum ad hunc modum: *Cum bone memorie abbas philippus nomine tributum mortis exſoluerit teſtimonio eius prophete. fedus cum morte percuſſimus omnes. qui in nobis reſponſum mortis habemus. electus es pater cariſſime a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis eccleſie. pro patribus nati ſunt tibi filij. et iuxta uerbum amos dominus ſuſcitat de filijs prophetarum ac iuuenibus nazareos. Sic ueteribus amicis euaneſcentibus noue propagines ad ulteriores et dulciores fructus amicicie coaleſcunt. De veſtra gloria glorior. quia ſecundum nomen magnorum qui ſunt in terra ueſtra. magnificauit dominus uobiſcum miſericordiam ſuam, ſi tamen* &c. ut in impreſſis. Tres ultimae in *Cod.* Epiſtolae inſcriptae: *Contra Clericos voluptati deditos. Contra Clericos qui conſanguineos ditant. Contra curiales.* nihil aliud ſunt, quam laciniae *Cantilenae de Lucta Carnis et Spiritus* ex Epiſtola *ad G. de Alneto*, quae et in *edit.* principe et in *Guſſanvillana* eſt numero *57ma*. Prima incipit: *Qui habet aures audiat.* Altera: *In nouam fert animus.* Tertia: *Quod amicus ſuggerit.* Ad calcem minio ſcriptum: *Libri huius compago inſcribitur Magiſtro Bleſen. petro Sed exaratur calamo fratris Wolfgangi*